



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Pignoribus & Hypoth. Consilium CCCLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Pignoribus & Hypoth.

S V M M A R I U M.

Reditus obligatio ex pignoris destruetione.

1. 5. Reditus annui obligatio personalis ex destruetione qualis sit.
2. 6. Reditus, ut & servitus, exceptione constituitur.
3. Pia causa acquiritur in & alio per stipulationem alteri factam.
4. Verba enuntiativa geminata probant.
5. Registra Ecclesiarum probant.

C O N S I L I U M C C C L V.

PARVM bonâ fide Ioannes Zille huius causae Reus à se, suoque fundo avertit onus reditus, seu reddituum in hac causa petitorum, pro parte D. Prioris & Conventus Carthusianorum de Zeelhem Actorum, tamquam Dominus temporalis, & supremus Mamburnus Ecclesiae parochialis de Zeelck idque confidentiâ difficultatis probationis, quam sibi effingit in dictis Actoribus, quae solet plerumque esse in huiusmodi parvis & minutis redditibus Ecclesiarum; & quod parum integrâ fide Reus id faciat, vel ex eo deprehenditur, quod postquam semel ad undecimum articulum Actorum respondisset, se credere, quod domum seu praedium, unde hi reditus petuntur, possideret, & aliquot retro praeteritis annis possidisset, postea negaverit contenta eiusdem undecimi articuli, quem tamen constat partim ex rei evidentiâ partim ex testimonijs testium per Actores productorum, tempore in libello designato à Reo, & suis, verè esse possessum:

1. ita ut merito pro illis annis conveniri possit ad solutionem arragiorum etiam actione personalis; quam Carolus Molin. ad consuetud. Paris §. 11. nu. 17. & 18. & in tract. De divid. & individ. parte 3. nu. 294. non nativam, sed dativam esse dicit, propter destruetionem, & fundi usum: secundum passim per totum ferè orbem obtinentem consuetudinem. Vnde faciliè praesumendum est Reum & alia, quae Actores pro intentione sua fundanda propoluerunt, ex mala fide negare; ideoque animum D. Iu. dicis propensiorum esse debere ad partes Actoris in causa tam piâ; in qua intentio Actorum satis videtur fundata & probata per duas recognitiones Ludovici Zelle, qui ante Reum huius praedij possessor fuit, quique hos duos reditus sapius, ut Actorum testes deponunt, solvit. * Quae recognitiones continent apertam recognitionem, quod hoc praedium sit obligatum dictae Ecclesiae in viginti quinque stufferis annuis, qui ex dictis duobus redditibus conficiuntur: quae recognitio non tantum pro narrativa commemoratione accipi debet, sed satis etiam pro dispositiva. Est enim huiusmodi oneris exceptio pro illius constitutione; non secus quam is, qui fundum vendit, exceptâ servitute, servitutem constituere censetur, non tantum sibi, sed etiam tertio, l. Si quis duas, l. Si in venditione, l. Duorum D. Communia praediorum.

3. Quod in proposito minorem habet dubitationem; tum quod recognitiones istae per expressam exceptionem factae sint in causam piâ, cuius favore receptum est, ut etiam illi acquiratur jus

& actio ex stipulatione alteri facta, And. Tiraguel. de privileg. pia causa priv. l. 14. 115. * tum quod huiusmodi exceptio bis, & per distincta temporum intervalla, in diversis contractibus, seu hypothecationibus per dictum Ludovicum facta fuerit: geminata quippe fortius ligant. Ideo receptum est, quod verba enuntiativa geminata operentur effectum, ac si essent dispositiva, l. 1. C. De plus petit. Panor. in c. Cum dilectus in fine De success. ab intest. & in c. Per tuas de arbitrio.

Cui consequens est, quod, cum hoc praedium, post has dicti Ludovici recognitiones, sit in Reum eiusque uxorem, & liberos translatum sub garantiatione censuum dominicalium, & praeterea sub oneribus prius inde exeuntibus, nulla dubitatio sit, quin Reus ratione praetactae possessionis, & destruetionis, sit quoque obligatus ad solvendum petita arragia: caque quae hac lite pendente ulterius cesserunt & ad continuationem solutionis horum reddituum in futurum: quasi scilicet hoc praedium pro his redditibus realiter sit obligatum. Vnde causatur, accedente destruetione seu possessione, obligatio etiam personalis pro modo seu tempore possessionis, Molin. legis supradict. castrensis consil. 333. Viso puncto vol. 1. *. Non ita quidem, quod per huiusmodi recognitiones primum constituti sint hi reditus; nam illos ita constitui consuetudo harum regionum tam expedit, saltem per contractus inter vivos, non permittit; sed quod huiusmodi recognitio sit pro confessione & pro probatione antecedentis constitutionis legitime factae, l. publica §. fin. D. Depositi, Bald. cons. 256. Actum fuit vol. 1. Cum alioqui facilius constituitur reditus realis, fundiarius, seu hypothecarius ex certo aliquo fundo, favore pia causa, Tiraguel. de privileg. causa priv. l. 63. qualis est procul dubio causa huius reditus, nempe pro matutinali Missa.

Ad quam probationem accedit quoque fides 7 registorum dictae fabricae; quae quia sunt confecta ex necessitate officij, non pro utilitate scribentium, sed ipsius Ecclesiae, fidem mereri debent, latè Azmo Cravetta in tract. de antiq. temp. parte 1. §. quid in libro: ut nihil necesse sit inquirere in aliam originem horum reddituum, neque in testamentum Arnoldi vander Veere, & Catharing eius uxoris: postquam lapsu plurium annorum prima eorumdem reddituum initia sunt obscurata, confirmata tamen ex continuatione solutionis etiam per tot annos, qui ad illius constitutionem & obligationem in futurum perpetuo sufficerent, vult. in l. Si certis annis C. De pass. Et sic paucis concludo, secundum conclusionem Actorum sententiam esse ferendam.

De Pignoribus & Hypoth.

S V M M A R I U M.

Pignoris distractio sub hasta.

1. Registrum Ecclesiarum ac piorum locorum stat.
2. Agere iussus intra certum tempus, post illud lapsum amplius agere non potest.
3. Programmata contra creditores quando noceant non comparantibus.
4. Proclamata seu edicta laicorum an comprehendant Ecclesiasti-

Ecclesiasticos.

5. Proclamata seu edita quos non constringant
CONSILIVM CCCLVI.

In causa Henrici van Nerin Magistri ac Mamburni mensæ S. Spiritus sive Pauperum Oppidi Thenenfis Actoris, contra Guillelmum Gentis Reum, satis fundata est & stabilita dicti Actoris intentio, per quam contendit ad vindicationem seu proprietatem redditus unius modij tritici, de & ex seu super fundo in exhibitio libello designato. * Et si enim Reus respondendo illum negare videatur, ejus tamē veritatem, & subsistentiam probant exhibita per Actorem dictæ mensæ Registra, & inde descriptæ seu extractæ clausulæ: per quas demonstratur continua possessio percipiendi hujusmodi redditum per annos plures quàm centum & quinquaginta: cujus tanti temporis possessio jure constituti redditus loco habetur. *l. Hoc iure §. dūcitur aqua D. De aqua quod. & affluat. l. 1. §. fin. De aqua pluvia arcen. De quorum Registorū fide querendum aut dubitandum non est; cum illa Reus apertè cognoverit, & alioqui hujusmodi Ecclesiasticum, seu piorum locorum, seu illorum Officialium, & Receptorum Registoris, præsertim quæ antiquitate temporis, & continuatione receptorum solutionum, adjuvantur, fidem de jure adhibere oporteat, *l. Censu D. De probat. c. Ad audientiam De præscript. Nicol. Boer. de ass. 105. nu. 11. Aymo Cravetta in tract. de antiquit. temp. parte 1. §. quid in libro nu. 9. †* Quæ causa est, quòd Reus defensionem suam tandem constituerit non in negatione sua, aut defectu probationis in agente; sed in præscriptione, quòd scilicet hic redditus quamvis verè olim debitus, peremptus & sublati sit per sententiam Concilij Provincialis Namurcensis; quā in anno sexagesimo quinto novissimè præterito, postquam ad instantiam Andree Clanwens pro executione iudicati, prædium hoc redditu gravatum auctoritate dicti Concilij captum, & publicæ venditioni expositum fuisset, præcedentibus editis & proclamationibus, quibus omnes aliquod jus sive proprietatis sive servitutis aut alterius juris ad seu super idem prædium competere, acquisitum fuerit dicto Guillelmo, subcertis oneribus annuorum redditum, inter quæ hic redditus unius modij tritici non fuerit positus, seclusis omnibus alijs, qui aliquod jus seu onus super eo prævedere possent: quasi scilicet ex defectu comparationis dicti Actoris, virtute dictæ sententiæ idem redditus abolutus, & velut extinctus sit. Qui enim in termino à iudice præscripto ad agendum aut jus suum declarandum, vel proponendum id non facit; is lapsus eo tempore censetur ab eo in perpetuum exclusus, *Angel. in l. Quamdiu 2. nu. 2. De acq. hered. & sic lapsus termini inducit renuntiationem, Bart. in l. Mancipiorum De optione leg. l. Si ex C. Qui accus. poss. etiam in minore, & Ecclesia, Bald. in l. Auxilium D. De minorib.**

Ceterum hæc seclusio seu exclusio allegatio Actori seu potius dictæ mensæ nocere non potest: etenim quod attinet ad terminos juris communis, res indubitata est: nam ex actis non constat, dictum Actorem, aut alium nomine dictæ mensæ ad illam causam fuisse citatum, multo minus ei factum fuisse aliquod præceptum de-

clarandi, aut proponendi hujus aut alterius redditus, intra certum aliquem terminum: ita ut eo non citato, nec ei præscripto aliquo termino, lapsus termini nihil operari possit.

Et quamvis etiam jure communi receptum sit, 3 tunc cum pignus sive conventionale, sive prætorium, quod in causam iudicati captum est, distrahendum est, pro maiore securitate creditoris, fieri possit citatio generalis adversus alios creditores, per programma seu editum, vel per præconis proclamationem, ad eum effectum, ut alij creditores non comparentes, nec jus suum exequentes, seu proponentes, amittant suam obligationem, *l. Si eo tempore C. De remiss. pignor. ita tamen id verum est, si creditores quoque sint præsentis, vel in eodem loco, vel, ut alij volunt, in eadem provincia seu diocesi, Gloss. & DD. in d. l. Si eo tempore. Ita ut effectus hujusmodi programmatum, aut proclamationum, non possit pertingere ad eos, qui in alia provincia, vel diocesi sunt, Ioan. Faber in d. l. Si eo tempore, & ad quos non tam facillè pervenire potest editum, etiam publicè propositum, vel proclamatio facta in alia diocesi, vel provincia: idè quod in proposito cum programma seu editum hoc, & proclamatio dicantur facta in pago de Sittart, in Comitatu & diocesi Namurcensi. Actor verò, seu dicta mensa sedem suam habeat in Ducatu Brabantia, & in diocesi Mechliniensi, merito effectus dicti programmatum seu editi & proclamationis ad hunc red tam pertingere non debet; * præsertim quòd sit Ecclesiasticus in piam causam 4 debitus: hujusmodi enim laicorum proclamationes & edita, nec Ecclesiam, nec clericos, nec eorum bona perfringere aut illis nocere possunt, Ioan. Faber in d. l. Si eo tempore: ut nec lata adversus eos sententiæ, *c. Si diligens De foro compet. Et quamvis Reus peculiarem consuetudinem Comitatus Namurcensis alleget, quasi ex illa hujusmodi generalis proclamatio perinde Ecclesiasticis noceat, ut laicis; de hujusmodi tamen consuetudinis validitate merito dubitari potest, quod ut nec statutis, nec ordinationibus laicorum; ita nec per eos in dictis consuetudinibus constringantur clerici, & pia loca, Auth. Cassa & irrita C. De sacros. eccles. c. Ecclesia S. Mariae De constitut.**

Sed etsi illa valere posset, in hoc tamen casu 5 præjudicium adferre non potest huic, de quo queritur, redditui dictæ mensæ: idè quod testes super probatione hujusmodi allegatæ consuetudinis producti, pro maiore parte requirant, ad hujus consuetudinis subsistentiam, quòd facta proclamatione, seu publicato edito citationis ad varias Ecclesiæ, debita quoque fiat insinuatio sic factæ citationis. Quia in parte juri communi conformis est dicta consuetudo, quæ generalem hujusmodi citationem sive proclamationem non sufficere tradit, quoties creditores, vel qui jus aliquod ad distrahenda bona prætendunt, sunt certi, & eorum præsentia facillè haberi potest: nam eo casu requiritur specialem citationem singulorum, vel saltem insinuationem generaliter factæ proclamationis, *Castrensis in aurb. Si omnes C. Si minor ab hered. se abstin. latè Barth. Blarerus ad l. Dissimari C. De ingen. manus. c. 4. nu. 92. Ita ut ex defectu*

ex defectu saltem debite & requisite citationis effectus generalis proclamationis, seu citationis, pertingere non possit ad hanc mensam S. Spiritus, quæ certa est, & certum habet deputatum Officialem seu Receptorem, ad quem facilis fuit accessus, præsertim in magna locorum vicinitate. Quamvis interim plerique testes, qui de hac consuetudine deponunt, non de creditoribus præsentibus, aut hypothecariis dicant, sed de possessoribus bonorum, de quorum distractione agitur: quo considerato sequitur, quod allegata consuetudo ad rem præsentem, hoc est ad creditores referri non possit, ut limitata causa limitatum producat effectum.

Nec aequitatis igitur, nec juris ratio patitur, ut per eversionem seu distractionem Andreæ Clauwens, ac per sententiam dicti Concilij (quæ tamen ut etiam ipsæ generales citationes apertam seclusionem non habent, aut comminationem illius, quam plerique in hoc juris articulo requirunt, Hieron. Cagnolus in d. l. Dissamari nu. 6. & ibi Barr. dicit possit extinctus aut velut præscriptio ne sublati hic, de quo in hac causa controversatur, reductus: ideoque Venerabilis Domini Officialis officium esse, ut secundum conclusionem Actoris in omnibus & per omnia sententiam diffinitivam pronuntiet.

De Fideiussoribus.

SUMMARY.

Fideiussor ubi conveniatur.

1. Exceptio fideiussori competens an detur reo principali, & contra.
2. Fideiussor Clerici qui laicus est in foro laico rectè convenitur.
3. Fideiussor debitoris scholaris non gaudet privilegio scholaritatis.
4. Clericus venditor emptorem, in emptoris, non in suo foro defendit.
5. Exceptio ordinis non debitori principali, sed fideiussori competit.
6. Ex pere de iure tertij nemo potest.
7. Fideiussor, qui se debitorem principalem constituit, quando habeat ordinem exceptionem.
8. Consignatio sine obligatione non valet.
9. Debitor sic solvens, ut pro parte recuperare possit, non liberatur.
10. Creditor quando consignatam debiti partem, negatâ reliquâ parte, accipere cogatur.

CONSILIUM CCCCXVII.

IN H I S T O, quæ per Magnificum Dominum Rectorem facta est Magistro Andreæ Eleno V. L. Licentiato, ad instantiam Iacobi Gautier, ne contra Arnoldum Steevens dicti Iacobi fideiussorem, coram Magistratu Oppidi Lovanienfis procedat, tollenda & revocanda est. Nam quamvis Iacobus, principalis Reus debendi, coram dicto Magistratu non possit conveniri, propter jurisdictionis incompetentiam, & dicti Iacobi privilegium, ex quo propter scholaritatem invitatus coram alio, quam præfato Magnifico Domino Rectore suo ordinario Iudice in ius trahi non possit, Authen. Habita & Ne filius pro patre &c. nulla tamen dubitatio est, quin dictus

Arnoldus, qui merus laicus & ordinarius iurisdictioni dicti Magistratus subiectus est, possit coram eodem Magistratu conveniri, etiam ex causa fideiussionis pro dicto Iacobi. Et si enim exceptiones, quæ ratione causæ Reo principali competunt, & rei coherent, fideiussori quoque competant, c. Cum mandatori C. De non numer. pec. l. Ex persona D. De fideiuss. & ibi Gloss. in v. commoda, merè tamen personales exceptiones competentes ex privilegiata conditione Rei principalis, & præcipue exceptiones fori declinatoriæ, fideiussori ex persona Rei principalis non competunt, l. Exceptio- nes qua persona D. De except. l. Privilegia l. In omnibus 3. De reg. iur. l. cum plerumque eo sine, & ad eum scopum fideiussorem laicum, quicquid pro clerico accipiat, ut eum in suo foro, non clericum in suo privilegiato conveniat, l. 1. & 2. Qui iussu cogantur. Eaque est aperta Speculatoris doctrina, in tit. de compet. iud. ad §. 1. nu. 26. vers. sed pone clericum; quam sequuntur & comprobant communiter omnes, Bald. in rub. C. De priv. domus Augustæ lib. 11. Ant. de Butr. in c. Ex rescripto De iur. iur. & ibi Panor. na. 2. q. 1. Steph. Aist. in tract. De potestate sacul. reg. 4. nu. 26. Lud. Rom. singul. 633. Nemoquid fideiussor, Hypp. de Marsilijs in rub. De fideiuss. q. 42. Guido Papa q. Delph. 562. nu. 5. Hieron. Cagnol. ad l. Venditor nu. 11. D. De iudicij: hac ratione, quod exceptio personalis, quæ ex privilegio personæ vel ordinis competit, non transgrediatur personam, Gloss. in fin. insti. De replicat.

Quod quidem de clerico, confurato traditum, & sine ullius contradictione receptum, apertè extendit Baldus, loco supra citato, ad scholarem, qui privilegiatum Iudicem habet, ut non possit suo privilegio causam contra ipsius fideiussorem institutam avertere seu divertere à competente Iudice fideiussoris ad suum Iudicem, etsi per rerum consequentias causa ipsius scholaris in persona fideiussoris laici periclitetur, propter actionem mandati, quam fideiussor solvens, aut condemnatus contra Reum principalem habet. Quam Baldi sententiam comprobant Petrus Rebutus, exactissimus excussor privilegiorum scholaribus concessorum, in tract. de priv. scholar. priv. 152. nu. 4.

Ex quâ consideratione, quæque traditum est, quod clericus venditor, emptorem laicum, ratione rei quam illi vendidit conventum, in proprio suo foro defendere quidem possit, sed in foro emptoris, & minime inhibere Iudici seculari, ne de illa causa cognoscat, ex eo, quod ipse clericus venditor se evicta per emptorem possit de evictione conveniri, Panor. in c. fin. §. fin. nu. 28. Vt lite non contest. Pet. de Anch. cons. 333. ad dub. Socin. cons. 92. Casus super eo nu. 13. & 14. vol. 3. Nec ad sustinendam huiusmodi inhibitionem quicquam facit, quod Iacobus sustinet se priore loco esse conveniendum tamquam Reum principalem: huiusmodi enim exceptio non Reo principali, sed fideiussori datur, Auth. Præfate C. De fideiussorib. qui si ea uti nolit, non impedit Reus, quod minus fideiussor rectè conveniatur, cum hoc sit in conditione & natura fideiussoris obligatio- nis, ut creditor possit, utrum malit, prius convenire, & iure cassio. C. d. si potestate excipiendi tantum fideiussori, si prius convenitur, relinquitur Reus.